



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLVII. Quòd omnia grauia, pro æterna vita sunt toleranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

mea opinata iustitia, pro defensione  
 latentis conscientiae. Et si nihil mihi 1 Cor. 4  
 conscius sum, tamen in hoc iustifica-  
 re me non possum: quia remota mi-  
 sericordia tua, non iustificabitur in  
 conspectu tuo omnis viuens. Ps. 142

## CAP. XLVII.

*Quod omnia graua, pro aeterna  
 vita sunt toleranda.*

**F**ILI, non te frangant labores,  
 quos assumpsisti propter me, nec  
 tribulationes te deiiciant vsquequa-  
 que; sed mea promissio, in omni euen-  
 tu te roboret & consoletur. Ego suffi-  
 ciens sum, ad reddendum supra om-  
 nem modum & mensuram. Non diu  
 hic laborabis, nec semper grauabe-  
 ris doloribus. Expecta paulisper, &  
 videbis celerem finem malorum. Ve-  
 niet vna hora, quando cessabit omnis  
 labor & tumultus. Modicum est &  
 breue, omne quod transit cum tem-  
 pore.

2 Age, quod agis: fideliter labo- M. 1. 20  
 ra in vinea mea, ego ero merces tua.

Scri-

Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus & maioribus præliis, vita æterna. Veniet pax in die vna, quæ nota est Domino; & erit, non dies neque nox huius scilicet temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, & requies secura. Non dices tunc:

*Rom. 7.* Quis me liberabit de corpore mortis huius? Neque clamabis: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est? quoniam præcipitabitur mors, & salus erit indefectiua; anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis & decora.

*Sap. 3.*  
*& 5.* 3 O si vidisses Sanctorum in cælo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, (qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vita ipsa indigni putabantur) profectò te statim humiliare vsque ad terram, & affectares potiùs omnibus subesse, quàm vni præesse: nec huius vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes: & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres.

4 O si tibi hæc saperent, & profundè

fundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nónne pro vita æterna, cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est paruum quid, perdere aut lucrari regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuère certamen, modò gaudent, modò consolantur, modò secuti sunt, modò requiescunt, & sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt.

## CAP. XLVIII.

*De die æternitatis, & huius vite angustii.*

**O** Supernæ ciuitatis mansio beatissima! *Apo. 21* O dies æternitatis clarissima: quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat, dies semper læta, semper secura, & nunquam statum mutans in contraria. O vtinam dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia finem accepissent! Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi à longè